



**R. P. Ferdinandi De Castro Palao, Legionensis Soc. Iesv,  
Sacrae Theologiae Professoris, Et sanctae Inquisitionis  
Qualificatoris & Consultoris; Operis Moralis, De Virtutibus,  
Et Vitiis Contrariis, In ...**

De Iustitia Et Iure, Continens Tractatus De Prudentia, Fortitudine, &  
temperantia, de Ieiunio, & Iustitia generaliter sumpta, de Iustitia  
commutativa, nempe de Pactis, & Contractibus in genere, de Promissione,  
& Donatione liberali, de Commodato, & Deposito, de Mutuo, & Vjura, de  
Emptione, & ...

**Castro Palao, Fernando de  
Lugduni, 1669**

Pvinct. I. Quid sit temperantia, quotuplex, & quæ vitia ei opposita.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76677](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76677)




excedant. Etenim pusillanimitas conseris, cum ex animi deiectione refugis docere populum, ministrare Sacramenta, gubernationem assumere, & alia similia prestare ad quae idoneus es. Si opera virtutis omittas, ut tunc facultati Divinam gratiam adiuta impossibilia, aut nimis graua, cum tamen facilia sint. Si honorem, & famam tuo muneri, & statui convenienter respicias; ac denique si te sic deicias, ut ea quae magnanimum decet non audeas aggredi. Hoc vitium per se veniale peccatum est, tamen nulla sit obligatio, sed solum consilium suscipiendi munus oblatum, sequendi virtutem, acceperandi honorem; quia opera consilij ex animi deiectione omittit peccatum est. Vt recte adnotauit Lessius lib. 3. cap. 2. dub. 3. in fine: aliquando peccatum est mortale, si renuas suscipere opera tibi sub graui praecipio indicta.

Magnificentiae opponitur per excessum, pecuniarum profusio, seu nimia consumptio, cum maiores sumptus facis quam opus requirit. Estque peccatum veniale sicut prodigalitas, nisi inde tibi vel proximo graue nocuumtum proueniat. Per defectum vero Paruitentia opponitur, cum praeter animi angustiam omittis sumptus operi instituto convenientes. Ex qua omissione, vel ab opere magnifico deficiis, vel imperfectum praestas, estque per se veniale tantum peccatum, sicuti auaritia; nisi ex voto, testamento, vel alia ratione ad opus illud magnificentum perficiendum obligatus sis, ut annotauit Lessius lib. 3. de fortitud. cap. 2. dub. 4. in fine. Gregor. de Valen. cap. 3. disp. 8. quae. 3. pun. 2. post medium. Layman. l. 3. sect. 3. num. 4. & alij apud ipsos.

Patientiae opponitur per defectum durities, sed insensibilitas quae vel propria, vel aliena mala non sentit, sed ea ex quadam stoliditate pronihilo facit, estque per se peccatum veniale, cum alienum sit a ratione, humanaque conuersatione, his malis non moueri. Per excessum vero opponitur imparientia, cum plus iusto de his malis doles, estque per se veniale, nisi causa sit alicuius scandali, vel noui peccati admittendi. Vt tradit Lessius lib. 3. cap. 2. dub. 5. num. 4. Paul. Laym. lib. 3. sum. sect. 3. n. 15.

Perseuerantiae, & Constantiae opponitur per excessum pertinacia, quae tunc contingit, cum inhaeres consilio, iudicio, vel actione plusquam par est, estque per se veniale peccatum, nisi actio consilium, vel iudicium sit de re grauius iniqua. Per defectum vero opponitur mollicies, seu animi leuitas, & inconstantia, quae a bono desistis absque vlla causa rationali, vel ex tadio virtutis. Peccatum vero mortale erit, si desistas ab opere ad cuius continuationem ex voto, vel praecipio tenebaris. Sic ex Aristot. 7. Ethicor. cap. 7. & 9. tradit D. Thom. 2. 2. quae. 138. art. 1. & ibi Caeteran. Gregor. de Valen. disp. 8. quae. 3. pun. 2. in fine. Lessius lib. 3. dub. 6. in fine. Layman. lib. 3. sum. sect. 3. n. 16. in fine.



DISPUTATIO III.

De Temperantia.

PUNCTVM I.

Quid sit Temperantia, quotuplex, & quae vitia ei opposita?

- 1 Expenditur Temperantia definitio.
- 2 Quae moderatio in voluptate gustus, tactus, pertinet ad temperantiam.
- 3 Quas partes integrales Temperantia habeat?
- 4 Quae sint eius partes subiectivae?
- 5 Quae sint partes potentiales?
- 6 Quae per defectum opponantur Temperantiae?
- 7 Quae opponantur per excessum?



TEMPERANTIA late sumpta actiones, & affectiones inordinatas temperat, & refrænat. At secundum hanc significacionem per omnes virtutes morales vagatur: cum quælibet virtus hanc circa proprium obiectum functionem praestet. Strictius autem sumpta Temperantia in moderandis voluptatibus corporis circa cibos, potus, & venereum occupatur, ut late probat Aristot. 3. Ethicor. cap. 10. S. Thom. 2. 2. q. 141. art. 4. Haec enim voluptas ex gustu, & inter omnia delectabilia appetitum rapit, & animum a Diuinis auocat, & specialem turpitudinem, & dedecus continet, vtpote brutis communis, ideoque opus fuit pro illius moderatione specialem virtutem Cardinalem designari. Nam licet alij sensus praeter

ter gustum, & tactum, nempe visus, auditus, odoratus moderatione indigeant, eam tamen non praestat Temperantia virtus per se sumpta, nisi quatenus inde voluptas tactus in cibis, potibus, & venereis excitari potest. Secunda hac excitatione alia virtutes Temperantiae annexae eam moderationem apponunt. Sed quia voluptatem gustus, & tactus moderari potest ad diuersos fines honestos satisfaciendi pro peccatis, subiecti appetitum rationi, exequendi Ecclesiae praecipitum, Temperantiae virtutem solum exerceat, cum eam voluptatem moderatis ob eius honestatem, & conuenientiam, quam cum recta ratione hae moderatio habet.

Quod si roges, quae moderatio in hac voluptate gustus, & tactus adhibenda sit? Respondeo in cibis, & potibus eam per se adhibendam esse, quae necessaria, vtilisque fuerit ad humanam vitam conseruandam, illiusque functiones excedendas, proventus conditio, loci consuetudo, alique circumstantiae exigunt. Vti colligitur ex Philosopho 3. Ethicor. cap. 11. in fine Hieronym. in cap. 44. Ezech. in illa verba; Inducitis filios alienos in circumcisos. August. lib. de morib. Ecclesiae cap. 21. S. Thom. 2. 2. q. 141. art. 6. Nam cum assumptio cibi, & potus a Deo tantum concessa sit ob corporis reparationem, illiusque integram conseruationem, corpus vero conseruetur, ut anima suas possit in eo functiones exercere, efficitur nec minus, nec amplius ex cibo, & potu assumendum esse, quam quod ad corporis conseruationem, animaeque functiones excedendas necessarium vtilique fuerit, secundum prudentis arbitrium. Vt bene notauit Valen. 2. 2. disp. 9. q. 1. punct. 1. circa finem Lessius lib. 4. cap. 1. dub. 2. Dixi per se, nam per accidens ob aliquem excellentiorem finem, licitum erit maiorem quantitatem ex cibo, & potu sumere, quam aliam deberes, ut contingit in conuiujs, ne inuubanus iudicetis: ob finem autem castigandi corpus, & appetitum rationi subiectiendi vitatum est apud viros timoratos, & sanctos de cibo & potu alias moderato detrahere. Quoad venereum attinet ea moderatio adhibenda est, ut extra coniugium ab omni illius voluptate abstineas. In coniugio autem ne ea voluptate vitaris, nisi quatenus necessaria fuerit ad filios gignendos, concupiscentiamque tunc propriam, tunc coniugis sedandam. Vt latius tract. de matr. diximus.

Temperantia specialis virtus duplicem partem integram habet, hoc est duplicem perfectionem, seu passionem, quae ad illius acquisitionem seu conseruationem maxime conducit; verecundiam scilicet, & honestatem. Verecundia namque est moderatus timor committendi quod turpe, & probrosum sit. Cui opponitur inuerecundia: turpiditatem non horrens. Honestas est quae honestum, seu honore dignum reddit. Quod esto de qualibet virtute dici potest, specialiter autem Temperantiae tribuitur, teste Ildoro. lib. 10. Erymolog. litt. H.

Ex subiectiuis vero partibus triplicem sub se continet Temperantiam; abstinentiam, sobrietatem, castitatem, seu pudicitiam: quibus opponuntur gula, ebrietas, luxuria, seu impudicitia. Abstinentia namque consistit in moderanda voluptate ciborum, sobrietas in potus moderatione, castitas, seu pudicitia in frænanda concupiscentia, ne venereum appetat, nisi vbi, & quando recta ratio dicit. Appellatur autem pudicitia, quia vius venereorum etiam licitus, & quodcuque illorum signum, ut visus, oculus, amplexus pudorem, & verecundiam gignit. Vt recte explicuit August. lib. 14. de ciuitate Dei cap. 17. & 18. D. Thom. 2. 2. quae. 152. art. 4. & Philosoph. lib. 3. Ethic. cap. 12. & lib. 2. art. 1. Rethorica cap. 6.

Vt partes vero potentiales annectuntur Temperantiae, humilitas, studiositas, mansuetudo, clementia, modestia, parcitas, eutropelia. De quibus omnibus recte agit D. Thom. 2. 2. q. 155. ex his quatuor priores continentia, studiositas, humilitas, mansuetudo ad compescendos internos motus voluntatis exorbitantis praecipue referantur; at posteriores, clementia, modestia, parcitas, eutropelia moderationem in actionibus externis adhibent. Igitur continentiae munus est continere voluntatem, ne ab insurgentibus & deordinatis motibus appetitus sensitiui superetur, sed firma persistat in iis quae rationi recte consentanea fuerint. Humilitatis vero munus est voluntatem cohibere, ne velit plus excellentiae, & honoris sibi tribui, quam congruis iustis statui, & conditioni. Etenim cum in excellentiam indubitam propensissimus ex antiqui perperis suggestione Genes. 3. Erius sicut Dj, necessario aliqua virtus statueretur erat quae hunc appetitum refrænet, & intra limites rationis contineret, quibus nullatenus aduersatur vera cognitio donorum, quae a Deo collata sunt, neque voluntas honoris in Deum relati ipsis donis conueniens. Studiositas autem temperat appetitum sciendi, ne inquam velit voluntas scire, & cognoscere nisi quae scire recte rationi congruit, & proxi congrui. Mansuetudo appetitum vindictae, seu irae cohibet, ne metas rationis excedat. Haec conseruati



rudini affinis est clementia, quæ concitatum animum cohibet, ne in punitione externa excessum committat, tamen si punitione ita cohibita, via vili difficultas est in externa punitione moderanda. Ob quam causam sæpè manufactudo, & clementia pro eadem virtute usurpantur. Modestia moderationem constituit in externis corporis moribus, cui vicina est parcitas, quæ externarum rerum usum ad corpus pertinentium, ut sunt vestes, ornatus, & similia moderatur. Eutropia modum constituit in ludis, & iocis, ne vitia id quod ad animi relaxationem, & humanum conuictum decet ea usurpes.

Quoad vitia autem Temperantiæ, virtutibusque ei annexis opposita, latè & optimè agit D. Thom. 2. 2. q. 142. & seqq. Ex illo accipit virtutis Temperantiæ perfectioni opponi suporem, seu insensibilitatem, cum scilicet refugis delectationes tactus sumere, ubi, quando, & sicut oportet. Quod vitium vtpote inclinationi naturali aduerlum raro contingit. Vti Philosoph. 2. Ethicor. cap. 7. aduertit. Eritque peccatum mortale, vel veniale pro qualitate obligationis rei delectabilis repudiata. Etenim si debitum coniugale reddere, vel delectationem sustentationis necessariæ sumere recusas, graue peccatum committis, leue autem si solum delectationem sub veniali obligantem respuas. Vt colligitur ex D. Thom. 2. 2. q. 142. art. 1. Caietan. verbo, *In sensibilibus*. Gregor. de Valen. 2. 2. disp. 9. q. 3. pun. 1. initio. Lessio. lib. 4. cap. 1. dub. 3. n. 12.

Per excessum autem Temperantiæ opponitur intemperantia, cum delectationes gustus, & tactus in cibo, potu, & venere sumis, vel experis quas non expedit; vel plusquam expedit, aut quando non expedit, eritque peccatum mortale, vel veniale iuxta materiam grauitatem, vel leuitatem. Continet autem hæc intemperantia diuersas vitiorum species (sicut Temperantia continet diuersas virtutes) nempe Gulam, Ebrietatem, & Luxuriam. Gula opponitur Temperantiæ in cibo, quæ dicitur abstinentia; ebrietas sobrietati, quæ est Temperantia in potu; luxuria castitati, seu pudicitia, quæ est Temperantia in venere. Quæ vitia teste Aristot. 3. Ethicor. cap. 12. nimis probrosa sunt & infamia: Est enim brutorum proprium ad cibum, potum & venere solo appetitu absque ratione ducere moueri. Continentiæ verò opponitur incontinentia, cum voluntas passione sensitiui appetitus maxime concupiscibilis excitata deficit à firmitate, quam iuxta rectam rationem habere debet. Est peccatum mortale, vel veniale pro ratione obiecti à cuius firmitate deflectis. Vti aduertit Caietan. verbo, *Incontinentia*. Humilitati superbia aduersatur, quæ consistit in appetitu honoris, & excellentie indebitæ, estque vitium capitale, quia plurius peccatorum causa est, & origo. Estque ex se peccatum mortale, tamen aliquando veniale fit. Vt bene expendit Valon. disp. 9. q. 3. punct. 1. post med. Eadem humilitati per defectum aduersatur deiectionis animi, seu pusillanimitas, cum nulla ratione ductus viliora, & abiectiora appetis, quam quæ tuum gradum, statum, & conditionem decet. Quod vitium est per se veniale fit, potest esse mortale, si ob eius causam alicuius grauis præcepti obseruationem omittas. Studiositati aduersa est curiositas consistens in appetitu immoderato sciendi, & cognoscendi quæ nec sciri expediunt, nec quando expediunt. nec proxi expediant spectato statu, officio, & conditione personæ: ideoque pulchrè docet D. Thom. q. 167. quadrupliciter in studiositatem peccare potes ex parte rei cognoscenda; si scire velis quæ humanam facultatem moraliter excedunt iuxta illud Ecclesiast. 3. *Altiora te ne quaeris*, & fortiora te ne scrutatus fueris. Quo peccato Magi, & incantatores, vanique obseruatores afficiuntur. Deinde si velis scire vana, & inutilia, & nullo fini honesto deferentia: uti contingit cum schedas legis, secreta proximorum inuestigas. Secundo ex parte finis, si scire cupis, ut superbiam foueas, ut proximos decipias, iniuriamque committas. Tertio si à Demone, cuiusque ministris scientiam expetas. Quarto si contra Dei, Superiorumque voluntatem studiis incumbas, ut contingit, cum ob eorum causam præceptis impositis non satisfacis. Quæ omnia ex se constar graui peccata esse. Manufactudini ita aduersatur, quæ est appetitus vindictæ, quæ non expedit, vel quando non expedit. Estque capitale vitium, quia ex co rixa, indignatio, clamor, contumelia, blasphemia, peritium, aliæque familia nascuntur. Vt tradit D. Gregor. lib. 31. moral. cap. 7. Item clementiæ opponitur crudelitas, & feruitia quæ modum punitionis excedit. Si autem excessus ita crudelis sit, ut indicet, & declaret te in eo delectari, non solum crudelis, sed ferus, & ferus nominaris, quia ferarum est proprium ex aliena vastatione delectationem sumere. Sicuti norauit D. Thom. 2. 2. q. 159. art. 1. & 2. Quod vitium constat de se mortale esse. Modestie per excessum aduersatur immodestia consistens in immoderato vsu sensuum & potentiarum, & rerum omnium quæ ad corpus pertinent. Per defectum verò modestiæ opponitur negli-

gentia in adhibendo eo potentiarum vsu, eoque corporis ornatu, quem tuus status, & personæ dignitas, aliæque circumstantiæ exigebant. Hoc vitium per se veniale est, ex accidenti mortale esse potest. Denique Eutropiæ per excessum opponitur immoderatus ludus, & iocis, cum scilicet ludis, & iocaris plusquam expedit, vel quando non expedit. Quod vitium est ex se veniale fit, si tamen fiat in graue rei, tuorumque damnum, occasioque sit alicuius præcepti grauis violandi, mortale erit. Per defectum verò opponitur Eutropiæ rusticitas, cum scilicet te sic aggressum, & iniucundum ostendis, ut aliis molestus sis, eorum recreationem honestam impediens, aut illi non cooperans aliquid agendo, vel dicendo, cum id spectatis omnibus circumstantiis maxime expedit. De quo vitio agit pulchrè Philosoph. lib. 2. Ethicor. cap. 7. & lib. 4. cap. 8. & D. Thom. 2. 2. q. 168. art. 4.

## PUNCTUM II.

## De Abstinentia Virtute.

Explicatâ naturâ Temperantiæ in genere oportet, ut eius partes sigillatim explicemus, & vitia illius opposita declarem. Partes igitur Temperantiæ diximus esse Abstinentiam, sobrietatem, castitatem, & pudicitiam, quibus opponuntur gula, ebrietas, & luxuria.

Abstinentia à cibi immoderato vsu, est propriè Temperantiæ; quod ieiunium, lege naturæ seruandum est. Nunciam enim licet immoderare cibo vti: de qua Abstinentia, Punct. præcedenti diximus. Alia autem est Abstinentia à cibo, quæ naturæ ieiunium vocatur, cum quis ab omni cibo, & potu abstinat, quæque pro sumptione Eucharistiæ diximus requisita esse. Tandem est Abstinentia à cibo ex præcepto Ecclesiæ præscripta, quæ ieiunium Ecclesiasticum nuncupatur, de qua in præsentem agendum est.

## §. I.

De his quæ sub præcepto Ecclesiastici ieiunij continentur, & maxime de Abstinentia à carnibus, ouis, & lacticiis.

1. Ieiunium lege Ecclesiastica indici potest.
2. Tria sub lege ieiunij continentur.
3. Abstinentia à carnibus est præcipua ieiunij materia.
4. Qualiter Abstinentia ab ouis, & lacticiis sit materia ieiunij?
5. Sit hæc Abstinentia sub graui præcepto indita? Negat Fagund.
6. Contrarium longè probabilius est.
7. Opposita argumenta disiuuntur.
8. Non est licitum diebus ieiunij esu Lardi porcini, Anserumque pinguedinis.

Ecclesiasticum Ieiunium appellamus Abstinentiam à cibo diuturniorem eâ, quam communis Temperantiæ præscribit norma, itidemque ab aliquibus cibis delicatioribus. Possit autem Ecclesiam hoc præcepto suos fideles obstringere veritas Catholica docet, quam pluribus exornat Gregor. de Valen. disp. 9. quæst. 2. punct. 1. & 2. Etenim ieiunium carnem domat, mentem eleuat, virtutem confirmat, ac proinde honestissimum est, & ab Ecclesia merito præcipiendum.

Igitur in præcepto ieiunij Tria continentur. Primum à Abstinentia à carnibus, aliisque cibis. Secundum, Abstinentia ab altera refectione. Tertium, tempus refectionis determinatum. Sicuti tradit ex omnium sententia Syluest. verbo, *Ieiunium num. 9.* Caietan. ibi. Anzor. 1. 1. lib. 7. cap. 8. quæst. 3. Bellarmin. de bonis operib. in partic. lib. 2. cap. 1. Gregor. de Valen. 2. 3. disp. 9. quæst. 2. pun. 1. circa medium. Lessio lib. 4. cap. 2. dub. 2. num. 8. Layman. lib. 4. tract. 8. cap. 1. n. 2. Fagund. lib. 4. de quinque Eccles. præcept. cap. 2. num. 1. & seqq.

Quoad primum attinet communis est Ecclesiæ sensus, nemine refragante abstinentiam à carnibus, esse præcipuam ieiunij materiam, neque vllibi, esse consuetudinem contrariam.

Huic abstinentiæ addidit Gregor. I. relatus in cap. denique dist. 4. abstinentiam ab ouis, & lacticiis. Par (inquit) est ut quibus diebus à carne animalium abstinemus, ab omni quoque qua semeninam carnis trahunt originem ieiunemus, lacte videlicet, caseo, & ouis. Hæc ab ouis, & lacticiis abstinentia pluribus in locis maxime extra quadragesimam consuetudine abrogata est, teste D. Thom. 2. 2. q. 147. art. 2. Abbat. in Rub. de obseruat. ieiunij. n. 5. Nauarr. in sum. cap. 2. 1. à num. 3. Gregor. de Valen. disp. 9. q. 2. pun. 3.

circ